



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prudentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. III. Monet sollicitudinem in æternæ salutis opere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

mei. Mirum est, quomodo non placeat vobis Cisterna Bethlehem, & inhiatis ad cisternas dissipatas, in medio filicis excisas. Ne bibatis de calice Babylonis, vbi mors auro tecta latet. Ecce, è vulneribus meis sanguinem, aquamque propino: vt cordis humani sitim expleatis. Accedite ad me, celerrimis affectuum gressibus, & lateri meo, quasi fonti viuo labia imprimite: vt satiemi ab vberibus consolationis meæ, & torrente voluptatis inebriemini. Fallax mundi gratia capiat gentes, quæ non nouerunt me, & ante Baal genua curuauerunt: Vos autem gens sancta, regale sacerdotium, & populus acquisitionis meæ, venenata mundi pocula, epulasque peccatorum respuentes, pura Iordanis aqua delectemini, fructuque ligni vitæ vescamini, in amænissimo paradiso, quem plantaui electis meis.

CAP. III.

*Monet sollicitudinem in æterna
salutis opere.*

Breues dies hominis sunt, & numerus

Λ 7

TUS

rus mensium eius apud me est. Cōstitui quippe terminos eius, qui præteriri non poterunt. Et cūm vos Adæ filij, in vitæ brevis angustia deberetis exultare ad currendam viam meam; in hac sola pigritamini, & mortalibus bonis nimium sollicitè detinemini. Fruimini bonis, quæ prohibui, & abutimini creaturis, tanquàm in iuuentute celeriter. Nullum viret pratum, quod nō velociter pertranseat luxuria vestra. Coronatis vos rosis festinanter, antequam marcescant: & cordibus indomitæ licentiæ habenas relaxatis. Non placet mihi consilium hoc: dementiam hanc odiuit anima mea. Vos festinatis ad interitum gratis; quasi vos pretio magno non emissem: Ergo respiscite modo, & summo cum emolumento in requiem meam ingredi properate. Tantundem sollicitudinis postulo ad vitam iucundissimam, quantum in æterna morte posuistis. Ego cucurri in siti, vt vos fugientes apprehēderem, & è feritate mansuefactos, ad dulcissima pascua æternæ vitæ deducerem. Cur modò marcescitis ignauia,
& non

& non ascenditis ad terram viuentium possidendam? Cur torpescitis, electi mei, & non potius animamini, vt assurgatis ad hæreditatem opulentam primogeniti populi mei? Certè si sciretis, quàm sit magna multitudo diuinæ dulcedinis, quam abscondi & seruari quærentibus me: sicut desiderat ceruus, & currit ad fontes aquarum, ita & vos cursu velocissimo requiem meam peteretis. Experto tamen credite, & currite, si quo modo comprehendatis, more illorum, qui in agone contendunt, & anxie currunt ad brauium. Filij huius seculi sint veloces ad effundendum sanguinem; vos autem amici mei, propter verba labiorum meorum magna sollicitudine, custodite vias duras: & ad regionem viuorum, inter dolores, ac sudores fortissime suspirate.

CAP. IV.

Iustos celeriter ad palmam currere docet.

HOMO, quasi flos, egreditur ex utero matris suæ, vbi ossibus, & nervis